



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 136. An aliquando sit obligatio gratis dandi mutuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

exponendum, sed ad solam ostentationem, aut loco pignoris, non fore usuram pro illo usu aliquid accipere, quia esset veluti locatio vel commodatio, & pecunia haberet se tantum veluti alia supellex permanens concessa ad ornatum vel securitatem, uti notat *Carden.* in 1. crisi. d. 63. n. 117., quamvis adhuc putet *Palav.* l. 4. n. 144. fore in hoc aliquam injustitiam, quia utilitas, quæ Commodatario provenit, non est ex natura pecuniæ, sed ex aliis circumstantiis pertinentibus ad ipsam personam commodatarii, adeoque hæ non erunt pretio vendibiles à commodante; deinde etiam, quia per talem usura nihil decedit de valore vel pretio pecuniæ, nec commodans ideo patitur ullum incommodum, uti supponitur.

Q. 135. An in usura detur parvitas materiae. R. 848
 Dubitarunt aliqui apud *Dian.* p. 5. t. 5. R. 30., quia quidquid etiam minutissimum accipitur supra sortem est usura: sed ratio ista nulla est, sicuti enim quidquid accipitur invito domino est furtum, sed non ideo grave, ita licet omne, quod accipitur supra sortem, esset usura, non ideo esset gravis, itaque dicendum cum *Lugo* d. 25. n. 252. aliisque passim dari in ea parvitatem materiae, si nempe sit injuria levis seu leviter tantum damnosa.

Q. 136. An aliquando sit obligatio gratis dandi mutuum. R. 849
 Affirmativè, & quidem etiam cum periculo fortis, nam Charitas sæpe obligat ad eleemosynam, quæ res propria donetur sine spe quidquam recuperandi, uti dictum est l. 2. n. 200. & 207., ergo magis ad mutuum cum spe recuperandi sortem, hoc enim est minus. Et id videtur

detur velle *Christus* Luc. 6. v. 34., *Si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant equalia. Neque dicas, id esse puri consilii, nam v. 35. subdit, verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite & mutuum date nihil inde sperantes, est autem præceptum diligendi inimicos & beneficium præstandi proximo, secundum dicta l. 2. n. 182. & à n. 200., Christus autem similiter loquitur de gratis mutuando: & quidem verbis illis Christi contineri præceptum prohibens usuras docent AA communiter cum *Sal. Lugo* & aliis: atque ideo *Urb. III.* & *Leo X.* apud *Moy. t. 1. c. 6. d. 6. q. ult. n. 13.* ex eodem loco usuras damnant, estque hoc accommodatum præsentis miseræ proximi, cui in necessitate gravi facilis erit petere mutuum quàm eleemosynam: Hinc cum *Vasq.* & aliis contra *Bonac.* in Dec. d. 3. q. 4. p. 6. n. 16. dicendum est, quando ex præcepto Charitatis obligor dare mutuum, me non posse ob lucrum cessans aliquid accipere supra sortem, quia licet ex iustitia non teneor mutuare, tamen absolutè teneor sub peccato, ergo in conscientia non potero petere lucrum ab hoc mutuatorio. An autem obliger proximo extremè indigenti donare vel sufficiat dare mutuum, dictum est l. 2. n. 207.*

850 Q. 137. An aliquando liceat mutuantibus accipere aliquid supra sortem. R. Aliqui absolutè negant, 1. Quia *Christus* Luc. 6. id improbat. 2. Quia Cap. Quod autem, & seqq. 14. q. 3. dicitur, Si plus quàm dedisti, exspectes accipere, fœnerator es: Quidquid supra datum exigitur, usura est: Quidquid sortis accedit, usura est: Quidquid ultra sortem exigitur, usura